

particulari, a causa creata, et increata, et quatenus est ab una, non est ab alia.

Sed contra. Nam concursus simultaneous, et cooperatio Dei cum causæ operatione non potest esse causa a qua dependeat ille alter influxus et cooperatio causæ creatæ, sed a qua pendeat effectus, qui est ab utraque causa, nam influxus Dei est simul cum influxu illo causæ creatæ, imo et identificatur cum eo: ergo non est prior illo, nec dependet a tali influxu in effectum ille influxus simultaneous causæ creatæ: ergo neque est causa illius: nam omnis causa est prior effectui, et ab illa dependet effectus: repugnat ergo quod cooperatio et determinatio causæ creatæ causetur a Deo per concursum simultaneum, sed si causatur, est per aliquid antecedens; si autem antecedens: ergo non determinatur ab ipsa cooperatione et consensu causæ creatæ, quia ipsa determinatio et consensus est posterior, utpote effectus ejus: ergo ante ipsam debet esse soluta indifferentia et indeterminatio decreti, et influxus divini, quia non potest causare nisi sublata sit indifferentia, et causat antecedenter, quia alias causa non esset, si solum simul esset: ergo est determinata antecedenter. Nec possunt ad invicem determinari in diverso genere causæ, quia quod est creatum ut creatum, nullum genus causæ exercet respectu creatoris, etiam materialis, quia etiam materia a Deo est, sed solum habet rationem causati, et effectus: ergo non determinat ipsam indifferentiam divini concursus in alio genere causæ, cum in omni ratione sit participata, et derivata a Deo, non causans aliquid circa ipsum, ut Deus causet.

XXII. Ad id vero, quod dicitur sub alia habitudine esse effectum causæ creatæ, et increatæ, fatemur: in hoc

enim difficultas non est: nam etiam effectus necessarii et naturales et determinatio causarum naturalium sub alio respectu sunt a Deo et a suis causis particularibus, et sub eo respectu quo sunt a causis creatis, non sunt a Deo, et tamen Deus efficaciter efficacia absoluta determinat illas: ergo eodem modo poterit se habere respectu causæ liberæ. Nec nos intendimus quod sub ea habitudine et respectu, qui se habet ad causam particularem se habeat divinam, sed diverso; tamen dicimus quod respectus isti se habent subordinate et unus ex alio oritur, et in eo radicatur, ab eoque causatur: nam respectus ad causam primam est prior, ut pote radix, et causa creaturæ, et sub eo est respectus ad causam particularem et creatam, et prout est ab ista aliquid creatum, est hoc ipsum quod est oriri et esse ab isto: ergo hoc ipsum quod est esse a causa creata, et causam creatam determinari ad influxum in istum effectum debet esse a causa prima (licet sub alio respectu) utpote cum habeat illam pro radice, et principio, multo magis quam operatio habet pro radice formam a qua est, quia forma intrinseca ipsi operanti, a qua egreditur actio, non est aliud quam participatio quædam formæ increatæ, a qua exculpatur omnis forma. Itaque diversos esse respectus, et formalitates in effectum ad causam particularem creatam, et ad increatam universalem fatemur, et sub uno respectu non explicari alium etiam dicimus, sed tamen unum respectum esse priorem alio, et derivari ex alio etiam negari non potest, cum respectus ad causam creatam sit ad causam participatam, et subordinatam primæ, et consequenter ex participatione illius descendere, et causari debet. Et sic ille respectus ad causam primam debet se habere non ut ad cau-

sam simul solum cooperantem, sed causantem determinationem causæ inferioris, et consequenter ut antecedenter, et prius se habentem ad causam secundam.

XXIII. Ex quibus colligendum est unum valde notabile, quod in Deo non potest assignari respectu causæ creatæ concursus, seu influxus pure concomitans, et simultaneous, sed debet semper habere rationem aliquam præmii respectu ipsius causæ, quia pertinet ad influentiam causæ primæ, quia universalissima est, ita concurrere ad effectum causæ creatæ simul cum ipsa, quod etiam causet, et principiet in ipsa causa suam determinationem, et cooperationem, quia etiam hoc pertinet ad aliquem effectum creatum, qui in Deum reducibilis est, et ab ipso originabilis. Et in summa, sicut non potest Deus concurrere cum causa creata, ita simul et concomitanter, quod præscindat a subordinatione, sed necessario debet eam respicere ut subordinatam sibi, et participatam a se in ratione causæ, ita influentia Dei cum causa creata non potest ita esse simultanea quod præscindat a prævia, quia etiam dum cooperatur illi, non debet supponere causæ alterius cooperationem, sed causare et facere, quia facit ut faciamus, etiam quando cooperatur nobiscum. Unde dicit Augustinus libro de gratia et libero arbitrio, c. xvii quod: « Ille qui præparat voluntatem cooperando perficit, quod operando incipit. » Ergo cooperatio nostra non est pure simultanea respectu cooperationis divinæ, sed ab illa causatur et derivatur. Patet consequentia, quia Deus cooperando perficit voluntatem, ut inquit Augustinus: ergo cooperatio ejus non ita pure influit in effectum simul cum nostra cooperatione, quod non etiam influat in voluntatem, quia cooperando perficit id quod

incœperat: incœperat autem in voluntate operando, ut voluntas consentiret; ergo Dei concursus ipsam voluntatem perficit ut cooperetur, et sic est radix et causa ipsius cooperationis. De quo etiam dixerat S. Augustinus ibidem cap. xvi, quod: « Ille ut facit ut faciamus præbendo efficacissimas vires voluntati. » Cum dicit facit ut faciamus, est idem quod facit ut cooperemur: nos enim non aliter facimus nisi cooperando ipsi Deo, soli enim non facimus, ergo facit ut faciamus: ergo facit ut cooperemur, ergo est causa nostræ cooperationis, et antecedit ipsam, non expectat; hoc autem facit præbendo efficacissimas vires voluntati: ergo vires in quantum efficaces præbentur a Deo: ergo efficacia non expectatur, sed præbetur, et causatur a Deo: non ergo indifferenti utitur decreto, sed determinato et efficaci, quia efficaciam præbet et facit ut faciamus determinate. Et D. Thomas secutus doctrinam præfatam Augustini 1-2, q. cxi, a. ii, docet auxilium quo Deus nos movet ad bene volendum, et bene agendum dividi in operans et cooperans; sed divinum auxilium nos movens non est pure concomitans, et influens in effectum, sed antecedens et prius se habens nostro concursu, quia movet nos ad volendum et agendum, nos autem agimus et volumus cooperando Deo, et simul cum ipso influendo, quia soli, et sine Deo nihil facimus aut volumus: ergo etiam cooperans auxilium prævenit nos, et movet ad cooperandum Deo, et sic ipsa nostra cooperatio ex Deo causatur. Non ergo expectat Deus ipsam cooperationem, ut voluntas, scilicet se determinet, et tunc determinate etiam Deus influat, sed prius Deus movet, quam nos cooperemur et determinemus nos: ergo si hoc facit prius, et non expectando nostram determinationem, quando id

facit jam determinatus influxus est, et determinatum decretum : ergo antecedenter ad determinationem nostram determinatum est, et sic non habet indifferentem concursum, et decretum, sed ex se determinatum, et efficax ante determinationem voluntatis, nec tollit libertatem.

ARTICULUS IV.

Efficacia decretorum, auctoritate stabilitur.

Vidimus inconvenientia ponendi decreta indifferentia, et in sui determinatione, et efficacia operandi dependentia a libertate creata. Nunc videamus quomodo ipsa decreta ex se, et independenter a quocumque libertatis nostræ consensu efficacia sint, nec possint ex suppositione aliqujus causæ efficaciam sortiri, cum omne illud a quo dependere illa efficacia potest, non supponatur, sed causetur a voluntate Dei; quod si causatur, non ab ipso consensu indifferentia decretorum determinatur, cum causari non possit consensus, nisi a decreto determinato, non indifferenti. Hoc ergo nunc probandum nobis est, et firmandum tum auctoritate, tum ratione. Auctoritas deducetur imprimis ex auctoribus qui hanc sententiam sequuntur, non solum in schola D. Thomæ sed extra eam. Deinde, ex auctoritate patrum, præsertim Augustini idem stabilitur.

D. THOMÆ MENS.

I. Primo ergo dari in Deo decreta ex natura sua efficacia et determinata, non ex consensu subsequuto efficaciam denominationem sumentia, est sententia, et mens indubitata D. Thomæ. Cognoscitur autem hæc

ejus mens ex aliquibus principiis ejus manifestissimis. Etenim apud D. Thomam certum principium est, quod tota contingentia, et libertas in operando voluntatis creatæ non reducitur in ipsam causam proximam tantum, sed in ipsam causam primam tamquam in radicem et principium unde oritur ille modus contingentiam, et libertatis in actu. Cum quo principio non stat quod decretum et voluntas divina non habeat ex sua propria vi, et natura efficaciam, sed expectet illam a consensu futuro creato, quia habet in se vim causandi libertatem et contingentiam actus multo magis quam ipsa causa proxima creata : ergo sicut voluntas quæ causat suum actum liberum, non accipit efficaciam ab actu, sed ei communicat totum esse et libertatem quam habet, ita similiter causa prima, quia ejusdem libertatis, et contingentiam causa est. Nec potest consensus iste denominare efficacem voluntatem divinam, nisi in re liber sit et contingens. Si ergo voluntas divina est causa libertatis, et contingentiam in illo actu : ergo causat illam, non expectat illam, causare autem non potest, nisi determinatione decreti, et concursus posita : ergo ex se habet illam, si non emendicat ab alio. Et præsertim, quia ideo nunc oppositi auctores decretum divinum non esse ex natura sua efficacem, quia tollerent contingentiam et libertatem voluntatis creatæ; si ergo causat illam, non minus, sed multo melius quam ipsa voluntas creata, quæ est causa proxima, ejus efficacia non nocet libertati, si quidem causat illam, nec expectare potest determinationem liberam voluntatis, ut dicatur ipsa divina voluntas determinate et efficaciter agere, quia illa voluntatis nostræ determinatio causari debet a voluntate divina, et sic ex ipsa habere debet determinatio-

nem et efficaciam, non hæc ab illa supponere; si autem non supponit ab illa : ergo ex se habet.

Hoc principium est manifestissimum in Divo Thoma, nec Vasquez illud negat, sed plane sic sentit D. Thomam docet hæc prima parte, disp. xcix, cap. vii, videlicet quod libertas et contingentia actus liberi reducatur in causam primam : id enim aperte docet S. Thomas hic quæst. xix, artic. viii, ubi in fine corporis inquit : « Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes, sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit. » Et quod hoc reducat ad efficaciam divinæ voluntatis, statim ponderabimus. Clarius idem docet infra quæst. xxii, artic. iv, ubi reducit contingentiam rerum in Deum, qui effectibus contingentibus præparavit causas contingentes, et necessariis necessarias. Et addit solutione ad tertium : « Considerandum est quod necessarium et contingens proprie consequuntur ens in quantum hujusmodi. Unde modus contingentiam, et necessitatis cadit sub provisione Dei, qui est universalis provisor totius entis, non autem sub provisione aliquorum particularium provisorum. » Ecce quomodo D. Thomas ipsum modum contingentiam non solum sumit per respectum ad Deum, sed ad ejus immediatam provisionem pertinere docet. Hoc idem late docet s. doctor super primo perih. lect. xiv, ubi ostendit quomodo ex Dei scientia infallibili, et voluntate efficaci non tollitur contingentia in rebus. Et postquam id ostendit de scientia, quia videt omnia in se ipsis in præsentia in æternitate, non autem in suis causis, subdit de voluntate divina quod : « Voluntas divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens, velut causa

quædam profundens totum ens, et omnes ejus differentias! » Quam pulchra consideratio ad habendum divinam magnitudinem ubique præsentem : « Sunt autem differentiam entis possibile, et necessarium, et ideo ex ipsa voluntate divina originantur necessitas, et contingentia in rebus; et distinctio utriusque secundum rationem proximarum causarum : ad effectus enim quos voluit esse contingentes, ordinavit causas contingenter agentes, id est, potentes deficere. Et secundum harum conditionem causarum effectus dicuntur contingentes, quamvis omnes dependeant a voluntate divina, ut a prima causa, quæ transcendit ordinem necessitatis et contingentiam. Hoc autem non potest dici de voluntate humana, nec de aliqua alia causa, quia omnis alia causa cadit jam sub ordine necessitatis vel contingentiam, et ideo oportet quod vel ipsa causa possit deficere, vel effectus ejus non sit contingens, sed necessarius. » Denique, hoc ipsum pulcherrime docet S. Thomas vi met. lect. iii, in fine, his verbis : « Ens in quantum ens habet causam ipsum Deum; unde sicut divinæ providentiæ subditur ipsum ens, ita etiam omnia accidentia entis in quantum est ens, inter quæ sunt necessarium et contingens. Ad divinam igitur providentiam pertinet non solum quod faciat hoc ens, sed etiam quod det ei contingentiam, vel necessitatem. » Et infra : « Sic ergo patet, quod cum de divina providentia loquimur, non est dicendum solum, hoc est provisorium a Deo ut sit, sed hoc est provisorium a Deo ut contingenter sit, vel ut necessario sit. Unde non sequitur secundum rationem Aristotelis hic inductam, quod ex quo divina providentia est posita quod omnes effectus sint necessarii, sed necessarium est effectus esse contingenter vel de